

Bibliothèque numérique

medic@

**Fournier, Mathieu Denis - candidat /
Cordelle, Jean - président. - Dantur ne
certa graviditatis signa ?**

1696.

Paris

Cote : ms 80 n°1511

Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Luca orthodoxorum Medicorum Patrono. (1811)

QUÆSTIO MEDICA

Lisey 1511

Quodlibetariis disputationibus, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis septimâ Februarii.

M. JOANNE CORDELLE, Doctore Medico, Præside.

Dantur ne certa graviditatis signa?

PERFECTIORA animalia quæ motu vitæ choream instituunt (& quo deficiente, quidquid in eis est abstrusum, sensibusque incompertum, aspectabile nobis, & obvium nunquam exhibetur) ex semine ortum habent, & maris & feminae sexu distinguuntur. Ab utroque etiam materiam quandam conferri oportet, in qua vis & potestas utriusque non modo; sed quasi compendium continetur existentie, ut semine conjuncto (ne genus universum intercidat) tertium quoddam ejusdem speciei, quod perdurare, diu non poterat, in vicem generantis substituitur. Quemadmodum natura propagandæ speciei, incredibili cupiditate studiosa, præter insitum omnibus generandi ardorem, eam partium structuram, eamque organorum fabricationem plenius adornavit, quibus Mas quidem in alio, non in se, Formina in se ipsa, non in alio generaret, cuncta sic Animantia, etiam si rationis expertia, ætateque tenera, provident tamen non secus ac si prudentissima essent, ut (quod per materiam illis minime liceret) genus suum sit superites mundoque cœvum.

SUSCIPIENTÆ prolis gratia, dum Mas & femina generationis opus aggrediuntur, simul & eodem tempore, semina sua effundunt. Mas quidem in uteri cervicem, Femina vero in proprium uteri sinum, qui quidem uterum, mirâ adeo structurâ præditus est feminis virilis recondendi, ut illud statim ac emissum est, suscipiat, & in proprium sinum complectatur, ac foveat accuratè, ibique illa duo semina exquiritè uniantur & permiscantur, adeo ut ex duobus unum fiat, uterisque arduissime comprehendat, tanquæ petiolam naturæ depositum ad tempus servandum constringatur, ac corragetur. Illiusque orificium internum exquisitè adeo clauditur, ut ne graphiti quidem mucronem, ut aiunt arcanorum naturæ scrutatores curiosi Anatomici, admittere queat. Utriusque semina ovorum si placet specie fiata, membranalis includuntur, & calore uteri foventur, eorumque spirituum motus & calor suscipiuntur, & nunquam admiranda satis illa vis Placida, in adum reducit, & partes quæ antea quasi confusæ & inertes delitescabant in semine, sensim sine sensu explicantur, & in tam ornata, ac ordinata dispositione componantur, ut tam perfectum ex illis producat opus, in quod *Θῦρα* si quasi sigillo obsignatum admirantur omnes.

SEMINA à toto corpore sunt decida, generationisque propriæ dictæ præcipua, jurè, appellantur fundamenta & elementa, ut partium delineatio, conformatio. In hoc quidem generationis opere quatuor tempora sapienter distingues, *πρῶτον* dicitur quo tempore membrane factum involvendes explicantur; *ἔκτον* cum nulla apparet delineatio, sed quasi massa informis, *ἐκτὸν* ubi delineatio perficitur; *πλάσιν* vero in quo exquisita partium descriptio & conformatio absolvitur. Multa quidem ad hominis conceptionem requiruntur, semen nempe fecundum, quod crassum & glutinosum esse debet, album, spumosum, temperatum, spirituum benignitate perfusum, in testibus probe elaboratum, ex sanguine ad eos affluente idoneo, ad sui partes producendas, non solum virtualiter ut ita dicam, sed etiam materialiter concurrens, qualè profunditur à sanis, robustis, media ætate florentibus, nec præter modum veneri indulgentibus.

INEPTI vero ad procreationem pueri censendi sunt, qui propter incrementum carent laudabili semine, Senes quibus ob caloris penuriam semen est languidum & frigidum, Ebrii propter superfluam humiditatem, *ἄγρι* propter virium infirmitatem. Bona temperies & symmetria partium genitalium, laudabilis quoque uteri structura & habitus requiritur, quæ scilicet nec angustia, nec obstructione, nec contorsione, nec oris obliquitate impediatur, nec magis idoneum semen reperitur in his in quibus ætu immodico torreat, aut frigore torpescat, humoris copia obruat, aut denique siccitas aut defectus alimentorum corruptat. Quibus accuratè perpenſis, concubitus idoneum tempus, ne opus & oleum perdas, observabis diligenter, quod desinentibus mēstruis, commodum reperies, cum prolis desiderio afficitur uterus. Tunc enim majori incensus voluptate, si maxime utriusque seminis fiat occurſus, tam charum avidè depositum amplectabitur, & ita coercebit, ut non modo uterus semen proleat, sed quasi in hoc solum acquiescat, exceptum foveat, & ad agendum sua forte beatrix excitet, unde soboles, quæ motu proprio, manifesta prodit.

UNICUIQUE ergo parti cum sit actio propria, ut ventriculo chylosis, sic & utero conceptio, quæ simul arguitur infantis mota. Statim enim atque partes omnes in unum quasi concentum nexuit, cerebrum, quæ ipsum quod postremum omnium absolvitur, quanquam ab initio rudimenta duxerit suæ conformationis, sensus facultatè, fœtus non initio tam necessariâ, tandem illustratur: tunc maxime si lactis promptuarium mammillæ intumuerint, sanguis ad mulieris locales affluerit: signa tanquam maturæ viro virginis prodeuntia, non secus ac si post veneris actum semen non exiderit, sanguis singulis mēstribus excerui solitus supprimatur, os uteri cum molliore conniveat, ventris primum depressio seu planities, tum tumor sine pondere, vultus pallor, oculorum albicantium cavitas, palpebrarum gravitas, inguinum tumor appareant, nausea, pica, malacia, animi deliquia, urinae albicantes & perspicuæ, ac nebulae lævæ tenuiter carpitæ similes, pulsus vehementia, corporis torpor, ingens ad somnum proclivitas. Verum illis certiora sunt iactis generatio in mammarum glandulis, in quibus congenita est vis *γαλακτοποιήσας* non secus ac *σπέρματοποιήσας* testibus, portione chyli & sanguinis alendo fœtus idoneo ad eas conflante, unde lac fit alendo fœtus exituro perfectissimum alimentum. Graviditatis autem *παράδειγμα* si ad uteri regionem manum calidam mollioriter admoveris, motumque lenem, blandum, ordinatum ac vitalem perceperis, quo venter inferior impellatur & inæqualiter attollatur.

Ergo certa dantur graviditatis signa.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI

M. Alexander Petrus Mattos.

M. Claudius Boudelin.

M. Joannes Franciscus Foy-Yaillant.

M. Alexis de Litte.

M. Philippus Ignatius Seve.

M. Petrus-Joannes Basset.

M. Petrus Pontet, unici Fratris Regis Medicus ordinarius.

M. Antonius de Cain.

M. Dionysius Dodart.

Proponebat Parisiis MATHÆUS DIONYSIUS FOURNIER, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1696.